

hunc statum aptam videat, & quasi natam ob propensionem illam, quam præferunt ad res sacras, & DEI cultum, uti & ob genium ad pietatem, atque Ecclesiæ ministria conformatum; sicut de Josue sacer narat Historicus, quod indè à teneris annis ægrè à DEI tabernaculo divelli potuerit; *Josue filius Nun, puer non recedebat de tabernaculo. Exod. 33. v. 11.*

326. Q. 2. *Quid in talibus adolescentibus singulariter procurandum?* R. laborandum, ut sic educentur; nè unquam vitiis ætati suæ cognatis inficiantur, imò, si aliqua ratione procurari posset, nè tenui quidem eorum pulvere aspergantur; utque idcirco diligentius vitent omnem pravam societatem, omnia conventicula periculosa. Oportet itaque illis persuadere usum frequentiorem Divinorum mysteriorum, majorem ad literarum studia applicationem; subministrandi illis libelli sacri, ex quibus aliquid quotidie lectitent; diligentius commendandi parentibus, & agnatis, ut vigili semper eos oculo observent, & ut res DEO dicatas, devotèque custodiant.

### CAPUT VIII.

#### De Sacramento Matrimonii.

##### Quæstiones Prolegomenæ.

327. Q. 1. *Quæ sit obligatio Parochi respectu Sacramenti matrimonii?* R. illi incumbere, ut

ut id suscepturos utiliter præparet, & suscipientibus ut testis assistat. Patet ex Trid. Sess. 24. c. 1. de ref. matr.

Q. 2. *Quid ipsi hunc in finem salubriter agendum?* 328.  
 Explicanda sunt populo per con-  
 ciones impedimenta dirimentia, præsertim  
 affinitatis. Deinde revocandum sæpius in  
 memoriam teneri singulos manifestare,  
 si impedimenti cujusdam conscii sunt. Cu-  
 randum quoque, ut Parochus certior fiat  
 de consensu sponsorum: an fortè, quod  
 non rarum est, à parentibus sint coacti?  
 itè an non sponsi parentibus non consul-  
 tis, aut etiam invitis Matrimonii vinculi  
 se obligare velint? Studeat etiam sponso-  
 rum rescire ætatem, an hæc sufficiens sit?  
 itè notitiam eorum, quæ ad salutem scitu-  
 sunt necessaria. Explicanda insuper est  
 significatio Matrimonii, ut conjunctio amo-  
 ris, quæ humanæ naturæ Divina connexa  
 est; itè unio Christi cum Ecclesia, & ani-  
 ma Christiani cujuslibet, qui in Ecclesia nul-  
 la gravi culpa obstrictus vivit. Præterea  
 inculcandum, nè crimina Matrimoniali  
 contractui præmissa sacrum hunc contra-  
 ctum dehonestent; nève peccando potius,  
 quàm virtuosè vivendo ad illud se præpa-  
 rent. Demum ostendenda obligatio pro-  
 les educandi rectè, & amanter inter se vi-  
 vendi. Contracturis autem Matrimonium,  
 quod Tridentinum monet Sess. 24. de ref.  
 matr. c. 1. suadendum, ut *antequam con-*  
*tra-*

trahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistia Sacramentum pie accedant.

329. Q. 3. *Qua notitia Parocho necessaria, ut de huius Sacramento huic prospiciat?* R. necessarium esse, ut ea exactè noverit, quæ tum sponsalia, tum ipsum matrimonium secundum se, tum matrimonii impedimenta concernunt. De singulis tractabimus singulis articulis in suis §§. divisis. Unde sit

## ARTICULUS I.

### De Sponsalibus.

#### §. I.

### De Sponsalium essentia & constitutione.

330. Q. 1. *Quid sint Sponsalia?* R. Sponsalia à spon-  
dendo dicta, sunt propriè, & strictè promissio voluntaria, deliberata, & mutua, signo sensibili expressa futuri Matrimonii inter personas iure habiles. Dicitur 1. Sponsalia propriè, & strictè dicta: quia impropriè, & minùs strictè etiam matrimonium ratum appellatur sponsaliorum nomine. Et hinc matrimonio rato vinculati minùs propriè Sponsus, & Sponsa dicuntur. Gobat. tr. 10. n. 2. Dicitur 2. promissio: Solum enim propositum non obligat. Busenb. tr. 6. p. 3. d. 1. Dicitur 3. voluntaria